

1177

1994  
A  
1386





DISPUTATIO VICESIMA SEXTA,  
COLLEGII PVBLICI,

DE DEPOSITO  
ET SEQUESTRA-  
TIONE.

QVAM

*Divina afflante Gratia.*

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Celeberrimo Iuridicæ apud Vbios Facultatis Collegio  
publicè discutiendam proponit*

VDALRICVS Glatbacher / Dammensis,  
Anno 1629. die 23. Augusti.

26.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



INSTITUTIO PRAELECTIO  
COLLEGIUM PRAELECTIO  
RE P. DEPOSITO  
ET SEQUESTRA  
TITONE

QUAM

THOMAS DE VITIS

PARISIENSIS

CLAUDE G. DE VITIS

D. P. DE VITIS

DE VITIS

DE VITIS

DE VITIS

DE VITIS

DE VITIS

DE VITIS



COLLEGIUM PRAELECTIO

BRUNNEN





CONTINUATIO.

**D**est expositos contractus reales, quibus res in genere, aut in specie ad *usum* eius, qui accipit propriè creduntur, actionesque quæ inde nascuntur: depositi tractatus subiungitur, quo, ad *custodiam* res tradi solet, rectèque Contractibus ex consensu præmittitur. *VVes. par. hic. n. 1.*

THESIS PRIMA.

**D**epositum, à De, & Pono, dici ait IC. in l. 1. ff. h. t. particulam De, augere verbi significatum. quod firmat exemplis *Festus in verbo decultarunt, Non. in de amare*: fallere tamen persæpe ostendunt derogare, discernere, dedecus, detrectare, & quotiens præpositio, verbi significationem mutat.

2. Quod autem in reliquis contractibus realibus euenit, vt materia sumatur pro ipso contractu, id etiam in deposito contingit in d. l. 1. in pr. ff. h. t. l. qui depositum. 10. C. h. t. strictius tamen denotat Contractum depositi. § fin. l. de obl. iunct. §. præterea 3. quib. mod. re contr. oblig.

3. Est igitur depositum contractus realis, l. 1. §. 5. ff. de obl. & A. §. 3. I. Quibus mod. re contr. obl. de re gratis. l. 1. §. 8. n. 9. h. t. §. vlt. I. mand. custodienda & eadem in specie restituenda l. Lucius 24 ff. h. t. l. II. C. eod. quando cunque libuerit deponenti. l. 1. §. 22. & penult. ff. h. t.

4. In definitione secernitur à consensualibus, qui solo consensu perficiuntur. tot. tit. I. de obl. ex consensu. l. 2. §. 1. ff. de O. & A. Commodato, quod non custodiæ, sed usus rei causa datur. §. 2. Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. Pignore, quod ob ius cuiuspiam in eo constitutum detinetur, donec creditor absoluat. §. pen. I. quib. mod. re contr. ff. t. t. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. Mutuo, quo genus idem, non species reddenda est. l. 2. ff. de reb. cr. §. 1. I. quib. mod. re contr. obl.

5. Dispescitur hic contractus in depositum in specie sic dictū, & sequens: Quod licet excedat in quibusdam depositi limites: eique omnia definitionis verba tribui non possint, absurdum tamen non est, Genus analogum definiri, vt speciei anomalæ natura subijciatur. *Arist. 1. Metaphys. nec*

erat, quod ob id *Bach.* definitionem *Treutleri thesi 1. lit. C. & D.* reprehenderet. Sed de hac depositi specie latius infra cum Deo.

6. Constituunt Depositum voluntas contrahentium, & res deposita, vtrumque familiare est contractibus realibus. *Dd. ad pr. 1. quib. mod. re contr. obl.* sed si res non interuenerit in dubio, erit pactum de deponendo, argumento *l. 27. § pen. ff. de pact.* Sin hoc actum sit, vt contractus depositi celebraretur, nec pacti vim obtinebit. *l. diuisionis. 45. ff. de pact. l. 1. §. eum qui. 4. ff. de pec. const. l. 1. §. 2. ff. de V. obl. l. 3. C. de rep. vel abst. hered.* Atque ita perpetuo temperanda est regula: Si non valet, quod ago, valeat vt potest, de qua *vid. Alc. 1. Parad. c. 6. hoc canone. Costal. ad d. l. 27. §. pen. ff. de pact. & l. 13. ff. de seruit.*

7. Voluntas autem contrahentium, vel est expressa, vel tacita, videlicet. si rem deponi apud se patitur *arg. l. 60. ff. de R. I. l. 2. §. 2. ff. sol. Mar. Diss. Ioan. Andr. rub. depositi* vide de hac quaestione *Bach. ad Treutl. lib. 5. lit. A.* vel absolute spontanea, vel limitata, seu mixta, vt vocat *Arist. 3. Eth. c. 1. arg. l. falsus 43. ff. de furt.* ex fortuita causa, magisque ex necessitate quam voluntate descendens, quas deponendi causas ita separauit praetor *l. 1. §. 2. ff. h. t.* vt illo casu in simplum; hoc autem in duplum conueniatur reddere recusans depositarius, vel inficiatus *l. 1. §. 1. & ff. h. t. §. sed furt. 26 Inst. de Act.*

8. Rationem reddit *IC. in d. §. 1.* Quia publica utilitas coercenda est, vindicandae Reipublicae causa: Quae verba subobscure prolata dubiam semper habuerunt interpretationem, alijs aliter textum emendantibus, quos allegat *Gothofr. ad d. §. 4.* Nouissimè *Marc. Lyclam. opin. quilib. 12. membr. eccl. 14.* ni! derogans textui explicandum putat hunc §. ex *l. 18. C. de si. vt. & seruo corrupto* dura minimèq; omnium videtur probabilis. Quod demonstrare cum paginae non patiat angustia in ipso conflictu probatum dabimus. Nec opus est in *d. §. pro inutile*, substitui, *inciuile* quod eleganter & late probat *Duar. 1. disp. anniuers. 11.* magis perspicua est ratio; quod libera animi destinatione deponens, sibi ferre debeat acceptum; *arg. §. 3. 1. quib. mod. re contr. obl. d. l. 1. §. 4.* dum non elegit amicum probatae fidei in necessitate verò constitutus, quid obligat, cuiue concedat pensitare nequeat. Adde, quod maximè sint animaduertenda peccata quae difficillimè praecauentur. *vt ait Cic. in Orat. pro Roscio Amer. Duar. d. loc.*

9. Deponi possunt res omnes quae sub factum custodiamq; cadunt tam mobiles, quam immobiles. *Gædd. ad rubr. de sequest. n. 9. & seqq.* licet enim magis propria sit mobilibus depositio, tamen alterata quodammodo depositi natura, quin in immobilibus idem obtineat non dubitarim. Etenim sub lege custodiae res immobiles asseruantur *l. 11. ff. de per. & com. rei vend.* Deinde notum est pacta contra naturalia, vti vocant, non immutare nomen & substantiam contractus, *Dd. in l. pacta conuenta 72. ff. de contr. empt.* Quale hoc esse probat quinque rationibus *Bach. quem vide disp. ad Treutl. thes. 4. lit. D. in fin. Dissent. Bart. Bald. Salic. Ang. Sich. & plerique omnes Dd. ad l. 1. & rubr. C. hoc tit.*

10. Tam

10. Tam propriæ, quàm alienæ *l. 31. ff. h. t. adeò vt furi, prædoni ueres de-*  
*posita sit reddenda l. 1. §. si prædo ff. h. t. l. 64. ff. de iud.* quia enim nihil iuris  
transfertur in depositarium non obstant ei regulæ iuris quibus prohibe-  
mur plus iuris in alium transferre, quam ipsi habemus *l. 11. §. 54. ff. de R. I.*  
quod tamen ita accipiendum est, nisi Dominus rei vindicationem instituat;  
qui meritò Prædoni præfertur, & hanc iustitiam esse probat *IC. in d. l. 31. ff. h. t.*  
sed & propriæ res apud Dominum frustra deponuntur *d. l. 31. l. neque pignus*  
*45. ff. de R. I.*

11. Forma depositi maximè in eo consistit, quod datur custodiæ causâ  
vt eadem species quandocunque uoles restituatur. Qualis custodia requira-  
tur inter omnes non conuenit. distinctius ita explicatur. Quod præstatio cu-  
stodiæ proueniat vel ex ipsa natura Contractus, vel conuentione, eâque vel  
expressâ, vel tacitâ, aut præsumptâ vel factò aliquo depositarij.

12. Et quidem dolum esse præstandum largiuntur omnes de culpa du-  
bitatur, an lata ueniat. verum, quod & lata culpæ nomine teneatur depofi-  
tarius patet tum ex *l. si hominem, .pr. l. 1. §. is quoque 5. ff. de O. & A. l. quod Ner-*  
*ua ff. h. t.* Tum quia lata culpa dolo equiparatur *l. 226. & ibi Gædd. de V. sign.*  
*l. 5. §. 15. ff. vt in poss. legat.* etiam tunc, cum solus dolus, vel dolus duntaxat ex-  
igitur *l. 1. §. 1. ff. si mer. s. fals. mod. dix. l. 8. §. 3. ff. de precar.* præterquam in *L. Corn.*  
*de Sic. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic.* vt ita non obstat *l. 1. ff. h. t. §. vlt. §. 3. l. quib. mod.*  
*re contrah.*

13. Si quis autem quærat, quid ueniat nomine lata culpæ: sic habeat,  
quod ad tractatum depositi attinet. Lata culpa est in rebus suis diligentia,  
in alienis negligentia, leuis est consueta in suis, & alienis negligentia. Le-  
uissima ex imperitia non affectata nascitur, & ratione ætatis, sexus, rustici-  
tatis facile excusatur *Gothofr. ad d. l. 32. ff. h. t.* quo collimat in effectu Bach-  
dum latam culpam in concreto, leuem in abstracto considerari ait *ad Treut.*  
*hic th. 2. lit. B. C. D. nec plures sunt species negligentia, licet gradus admitti*  
*possint. Diff. Bart. Bald. Ias. in d. l. 32. aliq. veteres Coras. 4. misc. 1.*

14. Quæ cum ita sint, & facillimè huc trahi possit *d. l. 32.* perspicuè labi-  
tur Hotomannus, qui duplicem textui vim inferens, pro latiore legit *leuior-*  
*em* & particulam insuper negatiuam expungit *l. 3. obs. 2. quem sequitur Ant.*  
*Fab. dec. 76. c. 2. Iacob. Curt. 2. in casu in fin.*

15. Ex conuentione partium expressa tenetur Depositarius, in id quod  
conuenit, vel ad culpam leuem *l. 1. §. 6. ff. h. t.* vel omne quandoque periculum  
*l. 1. §. 35. ff. h. t. l. 1. C. eod.* Tacita siue præsumpta conuentio ad leuem adstringit  
eum, qui se deposito obtulit *l. 1. §. 35. ff. h. t.* propius enim abest à uero, uerba.  
& *custodiam in d. §.* non intensiuè, vt leuissimam notet culpam, sed explica-  
tiuè, vt Dd. loqui amant, pro id est poni, quod confirmat *c. fin. X. depositi.* cum  
sufficiat oblationem ultraneam, præter contractus naturam operari leuem  
diligentiam quæ alias non ueniret *§. 3. 1. quib. mod. re contr. obl. arg. l. 109. ubi*  
*Dd. ff. de leg. 1. & per ea quæ adducuntur à Salic. in l. 5. §. 2. ff. de commod. n. 6.*

16. Secundò, si redhostimentum, seu honor interuenerit *l. 5. §. 2. ff. comm.* neque vero locatio conductio erit, priusquam merces certa sit constituta *§. 1. l. de loc. & cond. l. 2. ff. eod.* neque protinus actio præscriptis verbis dabitur ut putat *S. hveid §. 3. Qu. b. mod. re contr. n. 17.* cuius opinio probari videtur *l. 1. §. 9. ff. h. t. §. vlt. ff. de mand. §. 1. l. d. loc cond.* Nam I et si honor interuenerit nec essentia contractus destruitur *l. si remunerandi pr. ff. mand. & nihilominus subsistit contractus à partibus electus. l. 24. ff. de pos. II.* In contractibus innominatis datio ad factum, & vicissim se habent, ut causa finalis principalis contractus: quo fit ut cessante hac causa cesset ipse contractus, & condici possit quod datum est, *l. 5. §. 1. ff. de præsc. verb.* quod & in facto obtineret si posset fieri infectum, ideo in eius locum surrogatur actio de dolo *l. 4. C. de dolo malo.* Honor autem nostro in casu, non principaliter in obligationem deduci, sed per accidens, vel si mauius uti causa impulsiva interuenire creditur *arg. d. l. si remunerandi. factum depositarij.*

17. Quo ad præstandam culpam consistit vel in omittendo, si moram nexuisti, antequam casus sit subsecutus, vel committendo, si culpam commisisti, quæ casum præcessit. utro fiat modo, custodia nomine venit periculum & casus fortuitus *c. fin. extra h. t. l. quod te mihi §. vbi Dd. ff. de reb. cred.*

18. Deponimus hoc sine, ut res in eadem specie restituatur, *l. Lucius 24. l. 1. §. 21. & pen. ff. h. t.* Est tamen cum non ipsa res in specie, sed tantundem reddendum est, quod euenit quoties expressè conuenit *d. l. Lucius.* aut tacitè, veluti si quantitas non ob signata, ad pondus, mensuram, & numerum datur. tunc enim id actum videtur, ut depositarius pecunia abutatur, & tantundem reddatur, *l. die sponsaliorum & ibi Bart. & Salic. ff. hoc tit. l. in nauem 31. ff. locati. arg. l. 2. Cod. hoc tit.*

19. Quo casu quæsitum est, maneatne depositum, an trāseat in mutuum, & quamuis non desint, quæ stringant in contrarium, verior tamen communis opinio, seruandam legem contractus, quæ depositi esse voluit. Cuius rei fortissimum argumentum est, *in l. 24. & 26. §. 1. ff. h. t.* vbi non tantum depositi nomine insignitur, sed vsuras ex pacto & mora deberi adferitur, quorum neutrum neque mutuò, neque alijs strictis conuenit iudicijs *l. 3. C. de vsur. l. 3. §. 1. l. 35. ff. eod.* nec vocab. *conventionis ex l. 1. de pact.* pro stipulatione accipi potest: nam *dd. ll.* actione depositi posse vsuras peti asserunt, secus si non hac (contractus enim contractui non inest) sed actione ex stipulatu petendæ forent.

20. Nec mutat, quod pacta contra substantiam contractus non subsistant *l. nec ex pratorio & ibi Dec. Phil. Matth. & alij ff. de R. I. arg. l. 9. §. sed si quis ff. ad exhibend.* id enim ut aliàs verum sit, hic certe obtinere nō potest, deficiente legis authoritate, cum non tam priuatorum pactis, quàm approbatione Nomothetæ depositum nascatur. *arg. l. 4. C. de adult. l. 3. ff. de concub.* Deinde eò pertinet hæc regula, ut non maneat depositum verum & regulare, sed irregulare, quin maneat, pacto etiam contra substantialia adiecto nō dubitarim



rarim; partes enim negotium, quod nec in formam contractus cadat celebrare possunt, per ea quæ tradunt *Bart. Ias. & reliqui Dd. in l. quia & quotiens ff. de prasc verb.* cum gratulari sibi debeat, quod furci reus non peragitur *dd. ll.*

21. Restituenda est res simulatque petitur *l. 1. §. 22. ff. h. t. nec quadrimestre spatium indulgetur arg. l. pen. ibi illicò. C. h. t. etsi de certo tempore conuenit, d. l. 1. §. pen. & antepen. ff. h. t. rationem reddit VVesenb. parat. hic n. 7. & alijs.* ut pactum eiusmodi prorsus sit inutile, nisi ab initio conuenerit, ut vteretur, tunc enim prius repeti non potest *d. l. 1. §. si pecunia 31. ff. h. t. Adde VVurmb. pract. obs. 23. obs 1.*

22. Venit autem in restitutione, non nuda res deposita, sed & quæ ei accedunt, licet depositæ principaliter non sint *l. 1. §. qua depositis 5. ff. h. t. veniunt tamen actione depositi reddendæ d. l. 1. §. si cista. 41. Item fructus partus & omnis causa d. l. 1. §. hanc actionem. 23. l. videamus 30. §. si possessionem. ff. de vsur. & fruct.*

23. Vsuræ tamen non veniunt *l. Lucius 24. ff. h. t. nisi vel de ijs præstandis conuenerit d. l. 24. iunct. L. Publica 26. §. 1. ff. eod. vel mora in deposito sit commissa, l. d. sponsaliorum 27. §. 1. ff. h. t. l. 2. Cod. eod. vel re sit vsus depositarius eamque suos in vsus conuerterit d. l. 25. §. 1. l. si sacculum 29. in fin. ff. de pos. Quintus 28. ff. eod. l. 4. si depositi C. eod.*

24. Restituenda autem res est integra, nisi duo deposuerint, tum enim pro parte fit restitutio *l. 1. §. sed si duo ff. h. t. fallit I. si conuenit, ut vni in solidum res restituatur d. §. sed si duo. II. Si apud sequestrum sit deposita l. licet 17 ff. h. t. III. si sit indiuidua quæ petenti sub cautione indemnitatis tota reddi debet l. 1. §. si pecun. 36. ff. h. t. IV. Nisi maior pars actorum repetat, l. si plures 14. ff. hoc tit.*

25. Quod si depositum dolo restituere nolit, ut & alijs casibus quos vid. ap. Ias. in l. in actionibus coll. pen. vers. secundus casus ff. de in lit. iur. iuratur in litem *l. 1 §. 26. ff. h. t. cum sit bonæ fidei l. 4. 5. ff. de in lit. iur. quod tamen in contraria non obtinet l. 5. pr. ff. h. t. Quo iuramento quid contineatur alibi explicatur latius l. 4. 5. & ibi Dd. ff. de in lit. iur. l. qui restituere 68. ff. de Rei vend. & consimilibus locis.*

26. Fit tamen interdum ut & æstimationis præstatione liberetur depositarius: si res casu fortuito. *l. contractus ff. de R. I. sine dolo aut lata culpa. §. præterea. vers. sed is ex eo solo Inst. quib. mod. re contr. obl. vel leui, casibus in th. 15. & 16. expositis, ante moram. l. quod te mihi 5. ff. de reb. cred. l. 3. §. 3. ff. de vsur. & mora perierit sed quid si res post moram eodem modo apud deponentem peritura fuisset? verius est liberari depositarium. l. si plures 14. §. fin. ff. de R. vind. l. cum res 47. §. fin. de legat. 1.*

27. Adeo autem res restituenda est deponitori, ut in eius petitione præferatur omnibus creditoribus anterioribus, ipsique mulieri; non enim rem, sed custodiam rei credit, & ita proprietatem, & possessionem depositi retinet,

nct,

net, l. 5. §. 10. ff. & inposs. leg. Treutl. th. 7. lit. F. vbi vid. Dd. alleg. Quin nec compensatio admittitur l. vlt. C. de compens. l. pen. h. t. quod tamen omnibus bonæ fidei iudicijs affine est, §. in bonæ fidei l. de act.

28. De retentione quæsitum est, quæ alia est à compensatione, & deductione vti videre est apud Mologn. tr. de Retent. quæst. 7. quâ in re verius est, eam ob aliud debitum deposito non concedi: Quippe omnis retentio nascitur, vel ex iure in re, vel possessione non vitiosâ, Basil. disp. de retent. th. 3. quæ requisita cessare in deposito quiuis videt, per text. supra alleg. Diss. Mologn. d. tr. quæst. 51. Salic. in l. si quis pec. in prin. C. h. t.

29. Propter expensas in rem factas licet deductio denegata sit. d. l. si quis. vel pecunias. retentio tamen concedenda est, Gl. in d. l. si quis in verb. except. ibi sed nonne, quam sequuntur Bald. Paul. de Castr. n. 5. Salic. n. 9. C. h. t. vti per l. necessarias pr. & §. fin. ff. de pign. act. & alios textus probat, Molog. d. tr. c. 52.

30. Effectus huius contractus est, vt pariat actionem depositi directam & contrariam, directa datur deponenti; etiam furi l. 1. §. si prado. ff. h. t. qui tamen merito à Domino repellitur exceptione l. bona fides 31. hæredibus cæterisque successoribus d. l. 1. §. hæc actio ff. h. t. singulis pro portione hereditaria l. 2. C. de hered. act. l. 6. C. fam. excisi. quin & vtiliter ei, cui deponens rem restitui iussit, vel pactus est L. Publica 26. in pr. ff. h. t. l. pen. C. ad exhib. competit in depositarium eiusque hæredes in solidum ex dolo defuncti, l. si hominem. 7. §. 1. h. t. in dominum si seruus receperit l. 1. §. filium fam. h. t. fideiussorem l. 30. h. t. tertium, non nisi cæsis actionibus l. si is apud quem. 16. ff. h. t.

31. Datur quandoque ad restitutionem rei non deterioratæ, cum omnibus accessionibus per allegat. thes. 21. & 22. quandoque ad pretium rei, puta si hæres rem apud Testatorem depositam l. 1. §. fin. h. t. nec possit redimere. l. 3. ff. eod. petitur hac actione simplum, nisi ex quatuor causis depositum sit inficiatus, tum enim duplum venit l. 1. §. 1. ff. h. t. §. rei persequenda. inst. de act. Insuper directa actio infamat condemnatum, §. 2. I. de pæn. tem. litig. l. 1. ff. de his qui not. inf. l. qui depositum C. h. t.

32. Contraria datur depositario, eiusque hæredibus contra deponentem & eius hæredes, de recuperandis expensis in re deposita factis Moz. hic C. pen. n. 5. de qua licet in ff. X. C. h. t. ferè nihil dicatur, tamen omnia hic obtinent, quæ in contraria commodati Duar. tit. depositi. C. vlt. illud patet ex l. 5. ff. pr. h. t. quod hæc in litem non iuretur, cum non agatur de fide rupta.

33. Tantum de deposito in specie sic dicto. paucis agamus de sequestro, seu sequestratione, idem enim significant. Gædd. tr. de seq. poss. rubr. n. 3. Sequester ait IC. in l. 110. de V. S. dictus est ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos qui contendunt committitur, quàm notationem licet insectetur Alc. ad d. l. vt ineptam, & vanam prolixè tamen defendit Gædd. d. tr. n. 6.

34. Sequestratio est rei litigiosæ d. l. 110. ff. de V. S. l. 17. ff. de pos. à pluribus d. l. 110. & d. l. 17. l. 7. §. fin. ff. qui sat cog. vel à Iudice c. 1. 2. 3. X. de seq. poss. & fructib. l. vnic. de prohib. seq. apud sequestrem depositio l. 5. §. 1. ff. de pos. d. l. 110. d. V. S.

35. Gene-

35. Generis locum obtinet depositio, quæ depositio seu depositum, cum sit contractus, idem de sequestro affirmare non est hæsitandum; nisi quis ea quæ generi insunt, speciei neganda, absurdè dixerit. Id, quod de voluntario largiuntur omnes teste *Clud. tr. de iure seq. c. 1. n. 26. Hun ad Tr. d. 26. th. 3. q. 4.* De necessario pugna est: & putarim non minus hoc, quàm voluntarium esse contractum. quamuis enim vnus hîc consensus *arg. l. 12. §. 2. l. 1. §. 1. & l. 6. cum l. seq. ff. de pos. interuenire tantum videatur.* Quia tamen coacta voluntas, est voluntas *l. si patre 22. ff. de rit. nup. & quis inuitus rem cogitur §. 2. l. de his qui sui vel ali. iur. distrahere, §. vlt. l. de don. l. 13. §. 17. ff. de act. emp. non vendidisse dici non potest per dd. ll.* ita nec his contraxisse negandus. Adde quod tacita hic sit voluntas. nam si accidat, vt propter dilapidationem, difficultatem cautionis, vel aliam causam tentetur sequestratio, moribus, factoque suo consentit: ratumque habet *Goedd. d. tr. rubric. n. 17. Clud. tr. n. 26. Dissent. VVes. conf. 7. n. 7.*

36. Est autem sequestratio contractus Iurisgentium, bonæ fidei nominatus. De quibus tamen omnibus adhuc sub Iudice lis est. Plenius hæc disputata vide *apud Clud. c. 1. n. 27. & seqq.*

37. Hoc ipso quod est contractus differt ab Arresto, quod est iniectio manuum, vel interdictum ne res, aut Persona, loco, aut statu suo moueatur *vid. Gail. de pign. obs. 1. n. 6. Goedd. d. rubr. n. 21. Clud. x. 2. n. 5.* à missione in possessionem, quæ nunquam fit sine iudicis decreto *l. 4. ff. de Iurid. omn. Iud. à reliquis cognatis quomodo differat vide Goedd. d. rubr. n. 21. & seqq. Clud. o. 15. n. 15. & seqq.*

38. Differentiæ loco posita secernunt sequestrum à deposito, quod est rei non litigiosæ *arg. l. 1. §. 22. 25. & alijs d. §. praterea. & sæpe ab vno deponitur non pluribus. l. licet. 17. ff. h. t. Tr. hic th. 4. Goedd. & Clud. dd. ll.*

39. Duplex est sequestratio, voluntaria, & necessaria. Illa fit merâ litigantium voluntate, & conuentione omni iure permilla *l. 5. 6. C. de pos. Gail. obs. 148. n. 8. Goedd. c. 1. n. 10.* Quod an eò sit extendendum, si conuenerit, vt in casum, non secutæ solutionis, certa die faciendæ, vel ipse creditor, vel omnia eius bona officio iudicis sequestrantur quæstionis est? Affirmantium opinioni subscribo, quoad bona cum *Ioann. Ferrar. Papiens. in forma Saximent. in gloss. 1. n. 4. gloss. in l. vnic. C. de thesaur. lib. 11. & in l. 1. C. qui bon. ced. possunt.* Quoad Creditorem ipsum nego cum *Franc. Curt. ad l. vnic. C. de prob. seq. pec. n. 7. 3. & Salic. ad l. 1. C. qui bon. ced. possunt. Diss. Myns. obs. 51. cent. 6. Gail. obs. 45. n. 3 lib. 2.* quos solidè refutat. *Goedd. c. 1. n. 113.*

40. Necessaria, quæ ex præsumpta voluntate fit à Iudice, regulariter omni iure prohibita *c. 1. vers. pro suo arbitrio. vers. mandato sequestrationis penitus reuocato. l. vnic. & ibi Dd. pleriq. omnes C. de prob. seq. pec.* Robertus tamen *1. sent. c. 5. primus, eumque secuti Cuiac. & Forn. secessum à Dd. facientes d. l. vnic.* tantum de sequestratione pecuniæ & ita speciali casu interpretantur Quorum vndecim argumenta refellit *Clud. c. 4. ferè per totum. Goedd. c. 1. n. 85.*

41. Hinc fluit, vt qui sequestrationem iure factam affirmat, probare cogatur. Schurff. cons. 5. n. 5. cum seqq. & cons. 6. n. 4. & 8. VVes. cons. n. 17. coll. 328. Qui verò sint casus quibus iure fit, ingens est diffensionum varietas. Quippè Gloss. ad c. 1. X. de seq. poss. quadraginta. Felinus, decem. Lucas de pen. in l. si verò §. de viro. ff. solut. mat. quadraginta septem. Clud. c. 5. hic viginti & vnum fingunt.

42. Nos cum Goeddeo c. 2. n. 52. quinque tantum exceptiones admittimus. Primò si rei dilapidatio, vel interitus metuatur c. 2. X. de seq. pos. clem. vn. de seq. l. si cum dotem 22. §. si verò. ff. sol. mat. quæ lex loquitur in casu extraiudiciali, quæ tamen probanda c. vlt. X. de resc. c. 2. X. de dolo & con. sola enim suspicio, vel infamatio non sufficit. arg. c. licet X. de simonia Panor. ad d. c. 2. n. 22. alioquin suspicionem, iuratoria cautione purgare potest. Pan. d. c. n. 19. in fin. & n. 23. neque omnis prodigalitas sufficit. sed talis, vt vix alio modo consultum possit esse ei, in cuius perniciem vergit dilapidatio, arg. d. l. si cum dotem, & cap. 2. vbi Goedd. n. 27. in fin.

43. Secundò. Si reus de fuga suspectus, iure debitam cautionem à se exactam, vel non præstet, vel præstare nequeat l. 7. §. si 1. qui satis d. cog. l. 16. §. fin. ff. de offic. presid. Clud. c. 5. n. 28. malè autem huc trahitur, à Rob. l. 1. §. si frater cauere. ff. de coll. bon. vbi curatorì dari, non sequestrari dicitur portio fratris, quæ differunt, l. 1. 2. & ibi interpp. ff. de curat. bon. dando. Rectè autem Coras. lib. 3. misc. c. 2. n. 10. exemplum huius exceptionis ponit in l. litibus, 20. C. de agric. & cens. lib. 11. quem licet oppugnet Goedd. d. tr. c. 2. n. 33. non tamen expugnat. quod demonstrat Clud. c. 5. n. 75. & 76.

44. Tertio in l. fin. quib. ad liber. proclam. l. vnic. C. de assert. toll. si peculium sequestratur seruo ad libertatem proclamante Goedd. c. 2. n. 4 Clud. c. 5. n. 78. quod an hodie ad Monachos & Vafallos sit extendendum, si de eorum statu agatur quæritur? Equidem. Clud. d. c. n. 80. de Monachis concedit. de Vafallis negat, cui assentimur, Isern. in c. 1. §. sed nec est alia, n. 5. Quæ sit prima caus. benef. amitt.

45. Quarto res sequestrari potest ob scandalum auertendum, arg. c. 1. 2. 3. extr. de iur. patr. Menoch. remed. 6. & vlt. adip. poss. n. 12. vers. si vero subest. & 13. Panor. in c. olim ex litteris. coll. 2. de rescript. & ad c. 2. extra de dolo & contum. per illum textum, & Clem. vnic. h. t. Quod euenit primò vbi litigatur de Ecclesia, reusque contumax est, missio tamen sine scandalo locum habere non potest, c. olim. ex litteris extra de resc. c. 2. extra de dolo & contr. ei. vnic. de eo qui mit. in poss. in 6. deinde in momentanea possessione. arg. l. si eius. §. aquisimū. ff. de vsufr. Dd. in l. fin. C. de edict. D. Hadr. toll. per l. vn. C. vt possid. Coras. lib. 3. misc. c. 2. n. 9. Quæ sententia etsi nullâ expressâ lege, forsan aut canone probari possit. Vulgò tamè & in praxi recepta est, & à Diuis Imp. Carolo V. & Ferdinando in Comitijs VVormat. & Augustanis Anno 21. 48. 55. confirmata, & ordinationi Cam. Imp. inserta est, p. 2. r. 21. §. Ob auch in berührtem fall. rub. daß die Sachen der streittigen Possession. de quo vide eleganter Gail. 1. obs. 5.



obs. 5. per tot. & obs. seq. Eman. Soar. in d. verbo sequestratio. Franc. Viuius. lib. I. comm. op. concl. 173. vide omnino Gædd. d. c. 2. n. 44.

46. Quinto si statutum aliquibus in casibus admittat sequestrationem, arg. l. de quib. ff. de ll. Gail. obs. 44 n. 11. lib. 2. per ea quæ tradunt, Iason in l. omnes populi, n. 10. ff. de I. & I. Myns. cons. 9. n. 19. Plures in iure definitos non agnosco casus, ideoque omnes quorum mentio facta in thesi 41. commentitij videntur, & fundamento iuris destituti.

47. Sequestrare possunt omnes qui liberam suarum rerum habent administrationem. arg. l. in re mandata. C. mand. l. sicut. C. de O. & A. ijq; liberi homines non serui, l. seruus. 33. ff. de pos. Connan. 7. comment. iur. ciu. c. 4. quamuis enim deponere possint, l. 1. §. non solum cum seqq. & 11. ff. de pos. in sequestratione tamē alia ratio est, quia ius domini redditur deterius, d. l. 33. quod fieri non debet l. melior conditio 175. ff. de R. I. Etiam filiusfamilias, l. 19. ff. de pos. l. 18. ff. de iudic. quod tamen restringendum videtur ad peculium Castrense, vel quasi Castrense in quibus pro patrefamilias reputatur, pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. cum oportet C. de bon. qua lib. secus in peculio profectio & aduentitio, arg. d. l. cum oportet, §. 1. Inst. per quas pers. nob. acq. Remouentur omnes illi, qui ob defectum vel ætatis, vel capitis ciuilibus, contrahere efficaciter non possunt, l. 5. l. furiosi, ff. de R. I. l. furiosi. l. pupillus. ff. de A & O. §. 1. Inst. de cap. min. l. 7. §. fin de cap. min. l. 3. C. de rest. integ.

48. Sequestrantur res litigiosæ, l. 110 ff. de V. S. tam mobiles quàm immobiles. C. 1. extra de seq. poss. c. examinata, extra de iudic. c. 2. extra de dolo & cont. Franc. Curt. in tr. de sequest. in pr. n. 7. Panor. in d. c. 2. n. 16. de seq. poss. & fruct. Corn. cons. 292. n. 6 vol. 3. Diss. Corat. de sequest. par. 3. quest. 9. Cuiac. ad 1. C. de prob. seq. pec. vide Clud. c. 8. n. 2. contraria diluentem. Tam corporales quàm incorporales. idque non tantum speciali Const. Imperij. Ord. Cam. tit. 21. par. 2. §. Ob auct. in veridicem fall. sed iuris etiam communis dispositione, verum adserimus. arg. Clem. vn. de seq. poss. & fruct. d. c. examinata. arg. l. 3. ff. de ac. poss. l. 1. §. 1. ff. commod. l. litib. 20. C. de agric. & cens. lib. 11. V Ves. cons. 41. n. 20. cum seqq. Menoch. de retin. poss. remed. 6. n. 45.

49. De libero homine quæsitum est? & magis est vt sequestrari possit, l. 3. §. fin. ff. de lib. exhib. Sebast. Med. de conseru. poss. n. 297. Cuiac. in parat. C. de sequest. pec. nec facescit negotium, l. 70. ff. de contr. empt. specialis enim ibi est ratio quod æstimationem non recipiat, non igitur mirum si vendi non possit: Neque nos de libero homine alienando quod fieri non potest, l. 83. §. sacram. l. 103. ff. de V. O. sed asseruando ad tempus agimus. Hanc opin. exempl. illustrat. Clud. c. 8. n. 16. An cadauer hominis? Et licet casus dari possint, vbi de cadauere hominis litigari possint, quos ponit Corat. in tr. de seq. p. 1. q. 3. 6. q. principalis. Humanius tamē putam<sup>9</sup> statim terræ mandandū, alijsq; remedijs obtinendum quod præten dit actor, arg. tr. ff. de cadau. punit. & eorum quæ tradit Bald. in c. 1. §. in iur. de pact. iur. fir. in vsibus Feud. Clud. d. c. 8. n. 17. Diss. Corat. d. loc. Diuersa est quæstio: An ob delictum ciuile cada-

uer arrestari possit? quod negamus per *Nou. 60. c. 1. Nou. 115. c. 5. l. vlt. vbi Bart. & Dd. de sepul. viol. Couuar. resol. 2. c. 1. n. 10.*

50. Quemadmodum vero depositum, ita & sequestrum datur sub lege custodiae. *Treut. hic. th. 10* In qua si dolum, & latam praestet culpam, exemplo depositi securus erit, nec enim de leui, vel leuissima tenetur, per alleg. sup. th. 11. proinde omnia quae supra, de culpa in deposito praestanda, vel non, differuimus huc referenda, & applicanda sunt plenissimè v. *Clud. c. 11. n. 5. & seqq.* Poterit tamè si usus postulet & res, quae seruando seruari ne queunt, & tempore essent periturae, bonâ fide distrahere, & pretium loco rei apud se deponere, c. 2. vbi pan. 26. extra de seq. poss. l. fin. C. de ord. cognit. *Bart. in l. quari. ff. vt in poss. legat. Treutl. th. hic. 10. Goedd. d. 17. c. 2. n. 62.* Requirit hanc distractionem custodiae, & cura rei debita. Officium igitur iudicis indistinctè necessarium non erit. Sed tum demum, cum ob probabilem causam res quae seruando seruari possunt, nec ita facillè sunt periturae, sunt alienandae: non obstante, l. 1. tibus. 20. C. de agric. & cens. lib. 11. & l. ait praetor. s. 1. & 2. ff. de Iur. d. 1. ad quas eleganter respondet *Goedd. c. 2. n. 62.* eumque secutus *Hunn. th. 10. ad Treutl. hic.*

51. Ceterùm an lite pendente, durante sequestratione parti agenti vel reo sequestrationem patienti, sumptus ad litem aliaque necessaria alimenta ex fructibus sint porrigenda, quaestio est? communius iterum est in affirmatiuam, utpotè æquioremp. l. vlt. C. de cog. ord. arg. l. vni. s. super pecul. C. de adfert. toll. praesertim cum possessio non adempta, sed suspensa est, *Cor. in pract. quaest. c. 6. Francisc. Curt. de seq. quaest. 1. num. 10. Goedd. d. c. 2. n. 54. Clud. c. 10. n. 21.*

52. Custodiam solam rei adhibere tenetur sequester, nec quicquam iuris in re adipiscitur l. 1. pr. ff. de pos. s. praeterea. inst. quib. mod. re contr. obl. *Goedd. c. 1. n. 117.* num possessionem? Difficilis hæc quaestio est, quam prolixissimè vestigant *Clud. c. 9. per totum Goedd. c. 1. n. 115. & seqq.* Tandem pro communi concludentes, nec in voluntario, nec in necessario sequestro transire possessionem, nisi expressè inter partes conuenit contrarium per l. interesse 39. ff. de acquir. possess. si sine calumnia intelligatur, ut ait *Coras. lib. 3. misc. c. 2. n. 14.* quae explicatur à *Clud. d. c. 9. n. 26. & seqq.* Alias rationes vide apud *Goedd. d. c. 1. num. 115.* Idem sentit *Pac. vol. 2. ἐναυτιοφανεῶν. q. 80. Duar. ad t. C. de pos. Don. 5. com. 13. Diff. Gl. in d. l. interesse. varij variè vt videre est apud Goedd. d. loc. & Bach. not. ad Treutl. vol. 2. d. 21. th. 4. lit. F.*

53. Cognata est quaestio. An eò se extendat custodia, ut si Ecclesiae, vel beneficii cui ius patronatus, vel collationis annexum sit, facta fuerit sequestratio. pendente sequestratione, sequester praesentare, & conferre possit? Et communior est conclusio posse teste *Coras. lib. 3. misc. c. 2. n. 16. Lambert. in tr. de iur. pat. quaest. 9. art. 3. lib. 1. part. 2. Clud. c. 11. n. 27. Diff. Pan. Corset. ad c. examinata X. de iud. moti c. cum Bertholdus X. de sentent. & re iud. c. ex litteris X. de iur. patr. c. 1. & 2. de seq. possess. & fruct. quae solidè soluit Coras. d. loc.*

54. Nouè distinguit *Goedd. d. tr. c. 2. n. 60.* Aut iam vacante Sacerdotio propter ius præsentandi, vel conferendi lis inter plures patronos orta est: aut pendente lite super hoc iure vacatio contigit, priore casu conferre posse sequestrum decidens. Posteriore secus. Quæ distinctio suspecta videtur. I. *arg. c. ne præ defectu X. de elect.* vbi ratio generalis ne deficiente Pastore rapaci lupo Ecclesia pateat. II. Quia utroque casu sequester ita rem reddere tenetur, vt est tradita, quod non fieret si negaretur præsentatio. quippe post 4. menses *ex concil. Lateran.* patronus beneficio præsentandi cadit. III. Distinctionis nullum in iure Canonico vestigium apparet. Nam *c. quoniam. c. cum propter X. de iur. patr.* quibus mouetur *Goedd.* nihil pro eo faciunt. Quippe hoc dicunt elapso 4. mensium spacio, Episcopus eligat, quem volet necis de sequestro loquitur, multo minus hanc ei potestatem denegat.

55. Extenditur hæc decisio ad illum casum, quo castrum aliquod in manus sequestris traditum fuerit *ex ord. cam. par. 2. tit. 21. §. fin.* Tunc enim sequestrem iurisdictionem exercere posse tradunt *Goedd. d. c. 2. n. 61. Clud. d. c. 11. n. 28.*

56. Finita tandem sequestratione, sequestris erit, rem bona fide restituere, & ad quæ vel conuentione, vel iudicis decreto tenetur facere. *l. 5. §. 1. & 2. l. seq. l. si in Asia 12. §. cum sequestre ff. de pos. c. 1. 2. 3. extra de seq. possess. & fructib.*

57. Finitur autem aliter Necessarium, aliter Voluntarium sequestrum hoc quinque potissimum modis expirat I. Mutuo dissensu. *arg. l. nihil tam naturale. ff. de R. I.* II. Finita lite per sententiam, *l. 7. §. fin. ff. qui satisf. cog. l. 9. §. labeo. & ibi Bart. ff. de dolo mal. Clud. c. 10. n. 35.* quæ per Appellationem non sit suspensa. *arg. l. 1. §. fin. ff. ad SC. Turpill. c. pastorale. §. praterea. extra de offic. deleg. iunct. l. litibus. §. 1. vers. plenissimam definitionem. C. de Agr. & cens. lib. 11. clem. vn. vers. finalē in eâ victoriam de sequest. Gloss. in l. 2. verbo questionem C. vt. lit. pend. Curt. de seq. q. 8. n. 65. Corat. part. 3. q. 46.* Quod si tamen Actor litem malitiosè protelet, quo minus debito tempore finiatur, ante decisam appellationem reuocabitur, & res reo restituetur, *arg. l. 9. si quis oleum. & ibi Gail. de cun. ff. de dolo mal. Curt. de seq. q. 8. n. 65. Clud. d. c. 10. n. 38.* Qui toties id fieri posse arbitratur, quoties malitia aduersarij post decretam sequestrationem deprehenditur, *arg. l. in fundo. 38. ff. de R. V. vbi dicitur, malitijs hominum non esse indulgendum.*

58. III. Soluitur renunciatione sequestris. Quamuis enim regulariter officium semel susceptum contra legem depositionis deponere non queat. Iustissimâ tamen causa interueniente, eâq; cognita, fieri posse ait IC. *in l. 5. §. fin. ff. de pos. arg. l. licet, 15. ff. de rec. arb. l. 8. §. fin. cum ll. seqq. ff. de procur.* Iustæ vero causæ quæ sint arbitrio iudicis definiendum puto. Cum *Clud. d. c. 10. n. 42. arg. d. l. 5. §. fin. verb. arbitrato iudicis. ff. de pos.*

59. IV. Existente die, & conditione sequestrationis, *arg. §. hoc amplius. vbi Dd. Inst. quib. mod. toll. obl. Clud. d. c. 10. n. 49.* V. Morte sequestris, *arg. §.*

item si adhuc. I. de mand. l. 1. & ibi Dd. ff. de const. princ. l. quia tale. 3. ff. solut. matr. Enimvero personæ electa est industria, quare ad hæredes hoc officium non transit.

60. Necessarium sequestrum finitur, vel potius relaxatur, vt loquuntur Pract. teste Clud. c. 10. n. 1. tribus modis: I. Litis terminatione, d. l. litibus, C. de agr. & cens. lib. 11. d. l. 5. §. 2. & seq. ff. depos. l. fin. C. de ord. cogn. II. Decreto iudicis. c. 1. extra de seq. poss. & fruct. l. vn. C. h. t. V. Ves. conf. 7. Tr. thes. 12. hic. III. Si satisfactio interponatur. vbi requiritur primò, vt sit sufficiens & idonea, siue per pignora id fiat, siue per fideiussores, l. si mandato, 59. §. fin. ff. mand. l. ergo quamdiu 4. §. addici ff. de fideic. libert. Num autem pignora, vel fideiussores sint idonei, iudicis arbitrio relinquitur, Menoch. lib. 2. de arb. Iud. quest. cent. 2. casu 142. Myns. conf. 71. num. 18. Peck. de iure sistendi, c. 31. n. 6.

61. Quæret aliquis an Iuratoria cautio sit idonea? Quod adfirmandum putamus cum Myns. obs. 11. cent. 2. Gail. obs. 47. num. 9. 10. 11. lib. 2. & l. 1. obser. 148. n. 6. dūmodo persona sit integra iudicisq; arbitrio fidē digna. arg. c. pen. extra de don. inter vir. & vxor. l. 1. §. super hoc, vers. fin. verò. C. de adser. toll. l. cum non facile. 6. si cui plus quam per L. Falcid. Diss. Ias. & Alex. ad l. 1. n. 23. vers. vndecimo limit. ff. Qui satisf. cog. & ad l. si fideiussor. §. fin. n. 18. ff. eod. Cur. tr. de seq. n. 56. vbi allegatos vide. Multus est in hac quæstione decidenda argumentis vltro citroque adductis, Clud. d. c. 10. n. 8. & seqq.

62. Deinde requiritur vt per satisfactionem sequestrationis causa tollatur, & æquè benè consultum sit aduersario. Nam si non cesset causa sequestrationis, videlicet in metu armorum, scandalo publico, alijsq; in casibus, cum maleuolum animum satisfactio non mutet, §. fin. Inst. de susp. tut. satisfactio, siue cautio recipienda non est, arg. d. §. fin. & c. extramissā C. in litteras. §. fin. de rest. spol. Coras. lib. 3. misc. c. 2. n. 19. & 20. Goedd. disp. de seq. th. 57. Clud. d. c. 10. n. 4.

63. Petenda est relaxatio non rei vindicatione vt putant quidam per l. officium. ff. de R. V. Nam I. hæc actio non datur nisi domino. l. 23. ff. de R. V. atqui, quis dominus sit, adhuc quæritur. II. Non datur nisi aduersus eum, qui rei restituendæ habet facultatem, quod deest sequestro, sine iudicis iussu rem restituere non valenti, quod latè probat per c. examinata, extra de Iud. Goedd. d. t. c. 1. n. 145. & seqq. & licet ea post sententiam, ab eo, pro quo in petitorio lata est, rectè intentetur. Clud. n. 30. c. 12. tutius tamē est, & hoc casu agere sequestraria, propter difficilem dominij probationem, l. 24. qui destinavit. ff. de R. V. Clud. d. loc. Goedd. d. c. 1. n. 148. Quid ergo? Officium iudicis implorabitur, V. Vesen. conf. 7. n. 7. coll. 329. Bald. in l. si pacto. 14. de pact. Goedd. d. loco Clud. d. c. 10. n. 27. vbi rationes & alleg. vide.

64. Aliud mouet dubium Goedd. d. c. 1. n. 150. si Iudex deneget suum auxilium, an de iure ciuili (de Canonico enim non dubitatur, quo ab omni gra uamine etiam extraiudiciali, appellare licet. C. cord. c. concertationi de App. in 6. c. super eo 12. X. de App.) locus sit appellationi? Quod adfirmare periculosum



iosum fortè sit, cum non sit definitiua vt opinatur *Goedd. d. loc.* sed interlocutoria iudicis sententia, cum res finem pronuntiatione iudicis non receperit *arg. l. 1. & ibi Dd. ff. de re iud. iunct. l. pen. C. quor. app. non recip.* necdum ea mente quid pronuntiatum est, vt discedere eos à tota controuersia velit. *l. 19. §. 1. ff. de recept. arb.* neque hoc est grauamen eiusmodi quod per subsequentem definitiuam reparari nequeat, quo casu cõcedi solet etiam iure ciuili appellatio *Gal. lib. 1. ob. 129. Goedd. d. loc.* quid enim prohibet quo minùs post omne interesse in sequestrariã deducere possit vt inf. patebit. *Diss. Gæd. d. loc.*

65. Promanat ex sequestro tam iudiciali quam conuentionali. *arg. quæ dicta th. 35. & à Clud. cap. 1. n. 26. & c. 12. n. 12. vbi vide,* quatenus imploratione officij concedatur ex necessario sequestro *Goedd. d. t. c. 1. 153. & seqq. vbi diss. obicit & remouet.* actio, quæ vocatur depositi sequestraria *l. si in Asia 12. §. 2. ff. depos. l. 9. §. si oleum. ff. de dolo malo.* propriumque actionis nomen est non adiectitia quelitas, nascitur enim ex proprio & speciali contractu. *Diss. Azo in summ. C. depos. n. 8.* Estque duplex directa & contraria. cæterum æqualis vtrimque actio dari non potest, cum potior sit alterutrius in quem præcipuus contractus finis respicit. *Eleganter VVes. parat. de pig. act. n. 9.*

66. Vtraque est ciuilis ex contractu *l. 5. in pr. d. l. si in Asia ff. depos. arg. l. labeo. 19. ff. de V. S. bonæ fidei arg. §. actionum. I. de act. contraria soluit Clud. cap. 1. n. 29. & seq. Rei persecutoriæ. §. sequens. I. de act. Perpetua. pr. 1. de perp. & temp. act. Ad hæredes transitoria §. 1. I. d. t.*

67. Directa datur litigatori, qui deposuit, siue victor sit, siue vt sibi soli res restituatur obtinuerit, *Goedd. disp. de seq. th. 63.* aduersus sequestrem & filium familias *l. 1. §. 42. l. 21. ff. dep. pupillum* quatenus locupletior est factus *l. 1. §. an in pupillum ff. depos. l. 1. §. 4. ff. de pec. Clud. c. 12. n. 9. & seqq.* nisi dolum commiserit; tunc enim in solidum tenetur. *d. l. 1. §. an in pupillum. ff. dep. l. auxilium de minor. arg. l. 9. §. per fallaciam. ff. de transact.* Item aduersus Officiales publici alicuius loci, quando in publico, vel æde sacra, res sequestrata est *col. de process. execut. par. 1. c. 2. n. 66. Alex. in l. interesse n. 4. de acq. vel am. poss. ad rem sequestro legitimis modis th. 57. & seqq.* finito cum omni causa *l. 1. §. non possum cum seqq. depos. l. 3. §. 1. ff. comm. Clud. d. c. 2. n. 5.* planè ad exemplum actionis depositi *Goedd. d. disp. th. 64.* repetendam & eo, quo conuenit loco *d. l. 5. §. 1. depos. l. 2. ff. de eo quod certo loc. restituendum. d. l. 5. §. 1.* Quid si de loco nihil sint pacti? ait *Vlp. d. l. 5.* denunciandum est ei, vt apud prætorem exhibeat, quæ verba sic accipit *Clud. d. c. 12. num. 7.* vt iterum apud Prætorem sint sequestranda, atque ita de eo casu, quando sequester forsan renunciauit, nec iudicium per iudicis sententiam finem sortitum est; atque penitus textum inspicienti, occurrit hic sensus quod vbi nihil de loco conuenit, res apud Prætorem sit exhibenda, vnde repetat actor. & ita intelligunt *Paul. de Castr. & Salic. in summ. d. §.*

68. Actio igitur de præscriptis verbis vel de dolo in sequestrem nunquam competunt, per *l. 2. 3. 4. 5. ff. de præscr. verb. l. & eleganter 7. ff. de dolo malo. Diss. Cor. tr. de seq. par. 3. q. 28. Bald. aliq. ad l. si oleum. ff. de dolo malo.* Infirma sunt quæ

quæ *Corat. ex d. l. si oleum. l. 17. §. fin. l. 18. de præscr. verb.* deducit argumenta. Quippe nulla istarum ll. de sequestro, omnes de contractu innominato loquuntur. Non *d. l. si oleum.* Nam, I. ibi ab vno erat deposita, secus in sequestro. *l. propriè. 6. l. licet. 17. ff. de depos.* II. Non extiterat conditio depositio- nis, neque causa erat finita, *Gl. ad d. l. quia iudicium dicitur accipere vo- luisse.* Non *l. 17. de præscr. verb.* Quia I. res deposita non fuit litigiosa. II. Sed negatur victor possessionem rei habuisse, quod tamē probatum supra *th. 52.* Non. *l. 18. ff. de præscr. verb.* IC. n. expressè in fine negat. *vid. Goed. d. tr. c. 1. n. 161. seqq. præclare & ibid. nostras partes tuentem.* Possunt tamen hæ actiones cum sequestraria concurrere, *arg. l. 50. ff. de contr. empt. l. 6. ff. de resc. vend. confer Bons. de pact. c. vlt. n. 54. Bost. ad l. 23. ff. de A. I. c. vlt. n. 5. Goed. d. disp. th. 56.*

69. Contraria datur sequestro ad repetendum sumptus, & damna. *l. 5. ff. depos. l. nam hoc natura ff. de cond. indeb. Clud. c. 1. n. 8. Salic. ad l. vnic. q. pen. C. h. t. aduersusque partes, non iudicem, qui sequestrum fieri mandauit arg. l. quemadmodum. §. vlt. vers. si quid tamen ff. ad L. Aq. & ibi Costal. §. 13 §. 1. ff. de in iur. Goed. c. 1. n. 171.* an salarium peti hac actione possit quæsitum memini? Qua de re è diametro pugnantes est reperire opiniones, vt videre est apud *Goedd.* qui & ipse in adfirmatiuam inclinat, nobis distinguendum videtur: aut salarium est promissum, idque vel per stipulationem, & datur actio ex stipulatu §. 1. I. *de V. O.* vel per pactum in continenti, & parata est sequestra- ria, cum non mutet substantiam contractus *l. 7. §. 5. & 6. ff. de pact.* aut non est promissam, & tunc iterum ex opera & labore damnum fecit, alia negligendo, quo casu contraria aget sequestraria, vel indemnis est, & nihil illa peti actione posse dixerim: quippe gratuita est natura depositi *l. 1. §. 9. & 10. §. præterea. I. de oblig. q. re contr.* quæ autem sunt extra naturam contractus, sine pacto in actionem non veniunt *Dd. in l. 3. ff. de R. C. Diss. omnes Dd. Bald. ad d. l. si oleum. Curt. in tr. de seq. n. 78. con. 7. comment. 1. C. c. 4. Goed. d. tr. c. 1. n. 7.*

70. Remedia possessoria an dentur cum quæritur: recurrendum est ad *th. 52.* & inuestigandum an possideat sequester, an minus: hoc casu neganda illo largienda sunt interdicta, vt quæ possidenti competant. *tt. I. ff. & C. de interdictis.* Quod si igitur possessio non sit translata, domino & possessori interdicta dabuntur *l. 1. §. 22. & seq. l. vlt. ff. de vi & vi arm. magis perspicuè ex l. 3. §. creditores. ff. vt i poss. l. 9. ff. de re. vend. l. 12. ex quib. ea in poss. ea Dd. in l. vnic. C. de prob. seq. pec. Clud. c. 12. n. 26. Goed. c. 1. n. 172.* Frequentius tamen obtinuit, remedio *Can. redintegranda 3. quæst. 1.* posse experiri sequestrum vt- pote quod non solum possessori, sed cui libet detentatori datur *Spec. in t. de poss. & pet. in pr. n. 12. Hieron. de Monte q. 23. n. 3. Cor. de seq. par. 3. q. 27. Goed. d. c. 1. n. 175.* qui ibidem officium iudicis implorare posse sequestrum & vti- li interdicto *Ne vis fiat. ei qui in poss.* vti definit *arg. l. 5. §. 1. vers. sed si nec ipse ff. vt leg. vel fidei. nom. cau. secutus Iacobum de Arenade seq. n. 18.* Quod si alter litigantium turbauerit aut deiecerit sequestrem, locus erit remedio atten- tatorum. de quibus v. *Gail. obs. 145. & seqq. & poenis in Clem. vn. de seq. poss. & fruct. definitis. Goed. d. tr. c. 1. n. 174.*


F I N I S.

X 2874408

94 A 7386

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IMA SEXTA,  
 BLICI,  
 OSITO  
 STRA.  
 E.  
*Gratia.*  
 V S  
*Viris, ac DD.*  
 o, I. V. Doctore, &  
 S. LL. Licentiato,  
 & Fisco.  
 s Facultatis Collegio  
 proponit  
 r / Dammensis,  
 Augusti.  
 PPINÆ,  
 rope Augustinianos.